



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

CCIX. Differentia 7. Iure Canonico omnis usura vetita est,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

dialogi est: Non mœchaberis, Exodi 20. 35. Et Deuteron. 23. Non erit meretrix, &c. Et I. ad Cor. 16. Fugite fornicationem. Rationem dant, quia fornicatio cedit in damnum prolis, quæ propter patris defectum nec educatur, nec

juvatur & proficit in iis, quæ ad animæ, aut corporis salutem pertinent. V. S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. Farinac. Part. 5. q. 138. n. 7. & seq. la Cruz in 6. Prac. Henr. l. 11. c. 8.

## CCIX.

## DIFFERENTIA 7.

Iure Canonico omnis usura vetita est, c. 3. 4. 5. 7. 10. de usuris. iure civili aliqua permittitur: l. Eos, C. de usur. l. Placuit, ff. eod.

Galvanus 47.

I. **U**surâ est lucrum ex mutuo qua mutuo, pacto vel intentione principali, s. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. Veritam esse sacris Canonibus indubitatum est, ut iure divino & naturali quoque omnium Catholicorum DD. consensu apud Binsfeld. in c. Quia in omni. de usur. q. 1. & Tul. Clar. l. 5. §. Usur., qui tamen in ratione assignanda laborant. Genuina est hæc: iustitiæ repugnat in rei unitus commutatione pro alia plus exigere, quàm valeat, nisi aliquis titulus conjugatur, cujus intuitu aliquid amplius exigatur. At, qui usuram accipit ex mutuo, plus quàm res data valeat, exigit, ergo injuste agit. Major, & consequentia patet, minor probatur. Si pro 500. florenis mutuo datis centum accipis, habes quàm summa data valet. Ultra hanc igitur, quod petis, supra valorem rei data est. Quod si alium titulum assignas, v. g. lucri cessantis, aut damni emergentis, cessat usura, & iniquitas. s. Thom. l. cit. Caietan. ibid. & in summa, v. Usura cum aliis Summistis. Conrad. de contr. Tract. 2. per 37. quæstiones. Navarr. & Binsfeld.

Comment. de usur. Covarr. l. 3. Var. c. 1. Azor. III. l. 5. c. 1. Reginald. l. 23. c. 4. 1a. de Grass. P. 2. c. ult. Less. c. 20. dub. 4. Laym. l. 3. tr. 4. c. 16. Tanner. III. D. 4. q. 7. D. 3. n. 75.

II. De iure civili DD. variant: Iusta legitimum modum usuras permittere, videtur expressum in l. Eos, qui, de usur. ut agnoscit, & fatetur Cardinalis Lugo disp. 25. sect. 2. n. 13. imò ad exigendum usuras actionem concedit interveniente stipulatione l. 1. & 2. C. de usur. Et hanc communem opinionem esse Alciatus dicit Consil. 36. contrariam verò, quod etiam iure civili per jus Authenticor. usuræ prohibitz sint, tenent communiter Glossa Legistarum, ut Imola loquitur in Clem. 1. num. 8. quem refert Ananias in c. Quia in omnibus, n. 16. de usur. Item Abb. in c. Cum sit generale, n. 18. de summ. Trin. Et hæc opinio, ait Clarus, apud nos servatur, & ab ea non est recedendum. Itaque, confidenter sanè, nullam legem allegando, quæ oppositæ sententiæ robur imminuat. V. Farinac. l. 2. Consil. 191. à n. 25.

CCX. DIF.